

6
1777
36

ENTI

DE
DIVERSITATE
METHODI MORBIS MEDENDI
EVNDEM SAEPE MORBORVM EXITVM
PRODVCENTE

CONSENSV
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
PRO GRADV DOCTORIS
DIE VI. OCTOBR. A. O. R. CIOCCCLXXVII.

P V B L I C E D I S P V T A B I T
IOANNES GVILIELMVS SCHLENTHER
INSTROBVRGO — BORVSSVS.


HALAE AD SALAM
S T A N N O H E N D E L I A N O.

tempia The-
p cuius tem-
plizem! quod
um! Ol me
c fato et so-
um, non ore
et tuorum
milionum ap-
des ab omni-
tui pectoris
mi, vias diu-
nium, ac in-

matus & defi-
ct et iucundius
te cognoui

5. April 1777.







DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
DIVERSITATE
METHODI MORBIS MEDENDI
EVNDEM SAEPE MORBORVM EXITVM
PRODVCENTE



§. I.

Licet multo perfectior nostris temporibus medendi methodus sit, ut maiora commoda saluti humanae, immo ipsi arti maiorem certitudinem promittere videatur: tiro tamen praecipue, qui illustrium virorum obseruationes perlegit, in labyrinthum quasi inductus ne-

A

scit,

2 *Dissert. inaug. med. de diversitate methodi*

scit, quem sequi, quem relinquere debeat; cum medicina practica nondum ad illud perfectionis fastigium euecta sit, vt vna eademque methodus omnibus placeat. Et cuilibet sane, qui ad res a medicis gestas attendit, quo diuerso modo aegrotos, iisdem morbis ac symptomatibus laborantes, tractant, mirum videri debet; non solum ad vnum eundemque morbum curandum, diuersam medendi methodum adhiberi, sed quenlibet etiam ad experientiam, quae suae methodo maxime faueat, prouocare; itaque haud sine ratione suoque quasi iure. Quae cum ita sint, rem non plane inanem agere mihi videor, si, scriptiunculam more consueto ad honores in arte medica consequendos, editurus, in rationes huius rei, quantum vires permittant, nunc accuratius inquiram.

§. II.

Quaedam hac de re, quam vberius pertractare mecum constitui, *clar. WETSCH* in *libro*, qui inscribitur *de pulsu* iam disseruit, eaque cum perlegerem ad plenorem inuestigationem commouabar. In praefatione enim huius libri pag. XXII. & XXIII. offendit: „medicos, *inquit*, qui non nisi numero venae sectionum confidebant in acutis curandis, alios qui nunquam soluebant venam, vel rarissime: quosdam, qui in omni morbo emeticum dabant, alios, qui quaedam ipecacuanhae grana non nisi tremula exhibebant manu; summos colicarum dolores in uno oleosis curari, in aliis mochlicis animose adhibitis perfecte sanare vidi; in una regione potum calidum exhibit medici, dum in altera frigefactam glacie aquam in acutis porrigunt: oppositas has rationes „etiam



, etiam hodie videre contingit; iam de aliis tacebo, quae variis in
,,historiae medicinae epochis celebrabantur. Quaelibet suas pro
,,se rationes habet, quaelibet non obscura experientiae, non raro
,,in vna eademque regione, non raro in vna eademque vrbe, te-
,,stimonia: non ex vna omnes mori vidi, neque ex altera sanari:
,,cui ergo credendum? an omnes methodi bonae? an nulla? an
,,medicina sine norma est? an habet? & quae optima?,,

Ad omnia haec vero vir clarissimus in sequentibus non
plane respondisse mihi videtur. Totam enim rem in his verbis ab-
soluit: „non adeo, *inquit*, eodem loco p. XXIX. difficile videtur,
„varias & quam plurimum etiam oppositas in medicina sefas con-
„ciliare, naturae multum parum medicamentis tribuendo, quorum
„contrarietas cum eodem euentu saepe illa ipsa confundit: quod si
„quis naturae negans imperium plura sibi attribuere velit, ridiculus
„dictator caueat, ne gigantum sortem experiatur, olympum con-
„scendere volentium., Quae quam parum ad soluendam eam
quaestionem, quam proposuimus sufficient, dein euincam.

§. III.

Iam proprius ad propositum accedam & quaestionem
hanc pro viribus dirimam: quam ob causam scilicet curationes
morborum sat diuersae, eundem saepe, si mortem, pericula, aegro-
torum restitutionem species, euentum habeant?

Equidem inter omnes medicos constare puto, dari
morbos, quos ipsa, quam dicunt, natura facilime sanat. Multi
enim

enim homines omnium medicamentorum usum vel intermittunt, vel etiam abhorrent, solisque naturae viribus, sibimet ipsis relictis, non difficuler conualescunt. Atque eiusmodi morbos interdum, ne grauiora quidem aut aegri, aut adstantium, aut medici peccata, vel periculosiores, vel mortiferos reddere valent. In quibus igitur non est, cur diuersam medendi methodum forte adhibitam eundum habere euentum mireris. Nam naturae vires interdum tam bene constitutae sunt, ut vitiosa etiam methodo usurpata, aut nullo perturbentur modo, aut perturbatae etiam facile ad suam integratatem redeant. Sic noui in principio morbi variolosi, saepe a pauperibus panem vini spiritu, aut frumenti impraegnatum, absque villa noxa abhiberi; nec turbantur inde variolae sed optime ac regulares erumpunt, recteque sua stadia percurrent. Sic ante febris intermittentis paroxysmum, haustum e pipere ac spiritu frumenti compositum absque villa noxa, saepeque felici potius cum successu plebei sumunt. Natura etiam in magnis malis efficax & actuosa est, vique sua peccata aut omissionis, aut commissionis medici corrigit. Sic sponte interdum si turget materies, vomitus, diarrhoeae, sudores excitantur, quos forte curans medicus remedium vnu credidisset male prouocari.

§. IV.

Deinde methodi morbis medendi magis saepe, quam sunt, diuersae videntur. Cuius rei ut luculentum exemplum habeamus, liceat praeceteris primarum viarum enauigationem adducere. In eo omnes medici conueniunt, ventriculum & duodenum

denum sordibus repleta, non solum plurimorum morborum largum fontem praebere, sed etiam morbos aliunde ortos, vel grauiores reddere, vel diutius saltem protrahere; dissentient autem methodo, qua hae viae optime sordibus liberentur.

Alli enim vt *Illuftr.* de HAEN cumque eo plures magni nominis viri, se nunquam, vel rarissime ad eliminandas cruditates emeticis vti, afferunt.

Alli autem non minus celebres viri, in commendandis vomitorii medicamentis longe sunt faciliiores, eaque ad illa referunt media, quibus medicus, cui salus aegroti curae cordique sit, plane carere nequeat. Quod si rationes vtriusque sententiae spectes, multa, quae veri simillima sunt, in vtramque partem disputari posse intelliges. Nam effatum *Illuftr.* de HAEN (a): in curandis morbis nos emeticis supersedere posse magnam vim habet, addit quoque, se nunquam sere iis vsum esse, & tamen felicem praxin exercuisse. Tandem eorum vsum modo admitteret, si turgor materiae, quod perraro fiat, adsit. Praeterea saepius accidit, vt contraindicantia, quae magis latent, eorum vsum prohibeant. Sub vomitu corpus admodum concutitur, eo igitur tempore omnia violentio sunt in motu, humores versus superiores partes pelluntur, ibique accumulantur; his validis motibus febris augeri potest, quam tamen consultius est imminuere; eo simul respiciendo semper ad grauiora mala auertenda; vt & humores congruis remediis versus inferiores minus nobiles partes derinentur. Vomitoria

A 3

porro

(a) *Rat. med.* Tom. I. cap. 11.

porro citius, quam coctio facta est agunt, vim suam exferendo, alienam materiam, quae interdum sat tenax est, valdeque lateribus ventriculi adhaeret, eliminare nequeunt; potiusque concussione valida, bilis effusione ansam praebendo, cruditates adaugent; quae omnia laxantibus nullo modo metuenda sunt. Interna praetera primarum viarum oeconomia magis purgantium, quam emeticorum usum suadere videtur. Denique hac methodo nihil ingratius esse potest, ita, ut iam plurimi homines sponte sua eorum usum abhorreant. Quibus propositis alia amplius addi possunt. Nam emetica nimirum irritare, metumque inflammationis augere putant; contendunt vomitum, qui necessarius fit, aut sponte consequi, aut lenissimis remediiis v. g. aqua tepida effici posse; isto vero, quem aduersarii excitant, plerumque non opus esse, cum materia plerumque non turget in ventriculo; exigua autem nocentis materiei portio, quae forte praesto fit, quotidiana & repetita alui subductione expelli queat.

Quare ea, quae deorsum purgant, haec tenus emeticis longe praestantiora esse videntur.

Verum ii, qui contrarias sententias tueantur, non minus auctoritate, multifariis observationibus, grauibusque rationibus pugnant. Primo magnus HOFFMANNVS (*b*), hanc legem constituit; „quae in vitio sunt, breuissima via educenda, & alio loco (*c*) „non modo utilis, *inquit*, sed quandoque admodum necessarius

„est,

(*b*) *Syst. med. rat.* Tom. III. Sect. II. cap. II.

(*c*) *Ibid.* cap. V. pag. 481

„est emeticorum paulo valentiorum usus, ad miasmata, quae ex „contagiosis & malignis morbis decumbentibus exhalant, in ventriculo descendunt, expellenda. Neque dissentiant alii magni viri, vt SYDENHAM, VON SWIETEN, PRINGLE, STRACK & alii. Ventriculus autem prae caeteris partibus etiam in morbis contagiosis affici solet. Quod *Illustr. HVXHAMVS* (*d*) fatis confirmat; „cum vix illa, *inquit*, febris contagiosa aliquem inuadit, quin „ventriculum male afficiat, & vomitum excitet, cum effluvia „morbi cum saliuca caeterisque deglutiuntur.“ Ex hac ratione admodum eorum usus est ambiguus. Porro: qui emeticorum usui sauent, eo materiam ab initio morbi ventriculo, & duodeno inhaerente, quam optime educi putant; usu enim remedii alii mouentis, per totum intestinorum canalem, protracta materia, aut facile resorberi, & ad secundas vias transferri, aut villos intestinorum irritando, in progressu morbi pernitsiosa symptomata, praecipue diarrhocas inducere possunt, quibus dein aliae etiam salutares criticae excretiones prohibeantur. Quod incommodum magnus SYDENHAMVS (*e*), neglecto in initio morbi vomitorio, fatis expertus est. Et *Ill. v. SWIETEN* asserit (*f*): se vidisse unico vomitorio dilitia, quorum causa saepe in sordibus circa praecordia collectis consistit, cedere. Idemque ad reliqua multa febrium malignarum symptomata, vt anxietatem, virium prostrationem applicari posse emetica; addunt transpirationem etiam

(*d*) *Oper. med. phys.* Tom. II. cap. VIII. pag. 108.

(*e*) *Oper. med. ed.* Genev. p. 31.

(*f*) *Comment. in BOERH. Aphoris* 701. p. 327.

etiam emeticō dato liberiōrem fieri. *Ill. HVXHAMVS* (g) vomitus actu perspirationem per cutim, sudorem, & pustulas expelli vidit. Variolas vsu lenis emetici excitauit, quae in cute quasi se-pultae erant.

Negant praeterea, se nunquam ea incommoda, quae aduersarii, ab emeticorum vsu metuerent, obseruasse; tantumque abesse, vt ea confixerint, sed potius post emeticorum usum, aegros facile & cito morbum superasse viderint. Addunt denique, infantibus etiam sine omni metu praeberi posse, quia facile ab iis sumuntur; nec a concussione quidquam metuendum sit, siquidem eorum partes sunt molles, elasticae, facile cedentes, corpus humoribus abundat, & in vniuersum infantes ad vomitum procluiores sunt. Quod nostris temporibus *Ill. ROSENSTEIN* satis confirmauit (h). Et ipse cautissimus *SYDENHAMVS* (i) licet emetica ex insulo Croc. Metall. parata, puerulis, & infra adolescentiam constitutis, vel minima in quantitate tuto satis exhiberi posse neget, optabat tamen, vt illius loco alia nobis tutiora, sed satis interim efficacia suppeterent. Evidem non is sum, qui hanc item dirimere possit, id tamen ex obseruationibus constare puto, vtraque medendi methodo aegros sanari posse, neutram vero impedire, quo minus non-nulli moriantur. Quod nocens materia, intermisso etiam vomitoriorum vsu, ea in primis methodo, quam *Ill. de HAEN* (k) propo-

suit,

(g) *Oper. med. Tom. II. cap. VIII. p. 134.*

(h) *In verissimo libro qui inscribitur: Anweisung zur Kenntnis und Kur der Kinderkrankheiten, cap. XIV. p. 299. XIX. 384.*

(i) l. c.

(k) l. c.

sunt, tandem ex corpore educi possit, de eo ne nemo dubitabit; nec de eo, ut medicus interdum praeter naturales mutationes, ut sunt vomitus, producere debeat, quo inde magis salutares emergant. Itaque istae medendi methodi et si diuersissimae esse videntur, tamen quod nempe ad euentum spectat, subinde eiusdem efficaciae sint, necesse est.

S. V.

Nonnunquam morbi incident, qui omnino diuersis modis curari possunt. Sic haemorrhagiae relaxantibus & antispasmodicis non solum, sed iis etiam, quae vasa admodum constringunt, sanari possunt. Quidam morbi curantur, dum materia morbifica vel immediate ex loco affecto educitur, vel ad humorum massam retro-pulsa, postea naturalibus viis excretoriis exturbatur. Sic quoque nouimus febres varias, cum calidiori, tum frigidiori regimine curari posse; nam utroque id, quod in curatione febrium maximi momenti est, expulsio nempe coctae materiae, obtineri potest. Porro: pleuritidem nonnulli nitrofis, absorbentibus, camphoratis externe applicatis, nullis autem vel parcissimis venaefectionibus se curasse afferunt; alii autem largissimis venaefectionibus feliciter eam vincunt. Frequentius denique accedit, ut in theoria curationis medici dissentiant; alter hanc, alter illam methodum suis maxime rationibus conformem eligit; singuli autem finem eundem attin-gunt. Exemplum rem magis declarabit. Si diaphoresis in febre quadam promouenda esset; hoc vel mediate humoribus erga peripheriam corporis pellentibus, vel immediate motum nimium compescendo effici potest. Vnus igitur v. g. camphoram eligere

B

poteſt,

omitus
expelli
ass fe-

ae ad-
unque
vsum,
nique,
ab iis
uidem
oribus
s sunt.
uit (b).
infuso
stitutis,
optabat
fficacia
e possit,
ndi me-
us non-
vomito-
propo-
suit,

l Kur der



potest, cum & spasmos minuat, & resoluentem vim habeat, & motum humorum augeat. Alter autem ob vim temperantem, indeque compescerent motus enormes, qui perspirationem suppri-
munt, nitrum in usum vocat, & hoc modo diaphoresis promouere studet. Rationes sane, & modi agendi medicamentorum sunt di-
uersi, utrumque tamen remedium in salutem aegroti cedere potest.
Sic igitur medici in theoria multum dissentientes, in facienda ta-
men medicina eundem effectum obtinere possunt. Quod utinam
semper fieret! Sufficiant haec exempla, licet inumerata addu-
cere possem; quilibet enim satis ex his intelligit: unum eundem-
que morbum plane diuersis modis curari posse.

§. VI.

Cum etiam viuis eiusdemque morbi caussae tam variae sunt:
exinde, iustum methodi medendi differentiam inferri posse, quis non
vidit? Quo igitur accuratius in casu quodam obvio, non solum morbi
caussa, sed eius etiam discrimin perspicitur, eo magis methodus
nunc feligenda, ab ea, quae alias utilissima deprehendebatur, diuer-
sa esse poterit. Haec autem inuestigatio caussae morbi saepius
admodum difficilis est, inde non mirum, quod saepe non diuersae
solum, sed peruerse etiam instituantur methodi.

Noui ego hypochondriacum, flatulentiae incommodis ad-
modum obnoxium, qui cum post velociorem paulo corporis mo-
tum validam sanguinis ex aspera arteria reiectionem percessus
sit, neque missione sanguinis, neque quiete, aliis hoc morbo la-
bo-

borantibus satis conueniente remedio, neque caeteris auxiliis accommodatis penitus curari poterat; non prius enim sanitati restituebatur, quam ad vitam, quam antea agebat mobilem, & adfuetos manuum labores, qui sat vehementes erant, redierat; quis autem hanc commendasset methodum omnibus haemoptysin curandi regulis repugnantem? In eo autem, quem produxi viro, causa haemorrhagiae vera, erant flatus, quos motu corporis vehementi quam optime discuti dudum obseruauerat.

Quae caeterum hic de caussarum differentia exposui, non solum de essentiali earum differentia, sed etiam de ea intelligi debet, quam magnitudo vnius varia infert. Patet quoque facile, id, quod de caussis morborum dictum, de temperamento, aetate, caeterisque, quae methodi varietatem induunt, dici posse.

§. VII.

Sed data hac occasione, liceat vexatum illum therapiae locum, qui de frequenti, at parca venaelectione in haemoptysis curatione vel admittenda, vel repudienda exponit, paulo curatius pertractare; eo scilicet fine, ut dicta §. ant. memorabili quodam exemplo illustrentur. Neminem puto fore, qui nesciat, quam magni repititiae istae venaelectiones aestimentur. Quis enim est, qui immortalis BOERHAAVII aphorismum 1200(1) non legerit? „Cu-
ratur, *inquit*, vir summus, haemoptysis 1º larga venaelectione
„tertio quoque die ad quartam usque vicem repetita, vel donec

B 2

crusta

(1) Aph. de cog. & curand. morb. p. 456.

„crusta inflammatoria integre disparuit.“ Plures hac in re idem sentientes allegare possem, sed *Ill. MYZELIT* viri magni nomen sufficiat, qui plures satis memorabiles obseruationes (*m*) hac de re memoriae tradidit, nosque docuit, quoties in haemoptysi venaesctiones repeti possint. In Nofodochio charitatis Berolinensem ipse haemoptycum, hac methodo, licet lente, convaluisse vidi. Alii medici hanc methodum non plane sequi, quin immo ab ea abhorrere videntur: & ipse *Ill. TISSOTVS* (*n*) nimis repetitas venaesctiones damnat; atque *Ill. VOGELIVS* in capite de haemoptysi (*o*) dicit: venaesctiones nocere posse, si praeferentur. Atque videntur etiam istiusmodi venaesctiones admodum insecurae esse, cum nondum exploratum sit, quantam sanguinis copiam corpus humanum, absque insigni noxa amittere possit. Etsi enim magnam sanguinis iacturam, corpus humanum pati posse, supra laudatae obseruationes *Ill. MYZELII*, & ea quam commendat haemoptysis curatio probare videntur: tamen quam summa interdum sit opus cautela, in sanguinis detractione adhibenda, quamque facile signa, quae eam indicare vel accuratissimis medicis videri possunt, fallant, nonnullae ab *Ill. de HAEN* (*p*) obseruationes problematice & ab aliis propositae, docent: „In sae- „mina sexaginta quinque annorum optima sanitate gauifa, post le- „uem haemorrhagiam & paruam institutam venaesctionem, di-

„midia

(*m*) *In praeclaro libro medicinisch. und chirurgischie Wahrnehmungen, erste Sammlung.*

(*n*) *Avis au peuple.*

(*o*) *De cognoscend. & curand. p. c. h. affect.*

(*p*) *Rat. med. P. VI. cap. IV. p. 110.*



„midia ante mortem hora, adhuc fortiter deprehensus est pulsus
 „tam in affecto, quam sano brachio, vasa maiora minoraue vniuersi
 „corporis ita & flaccida, & vacua inuenit, vt sicciorum anotomen
 „nemo viderit, sanguis vnicet inuentus est fluidissimus in basi cra-
 „nii ad vnciarum duarum copiam effusus.“ Et in homine arthri-
 tico, qui nunquam non habuit durum fortisque pulsum, post mor-
 tem omnia vasa cauaque sicca & nil nisi chorda tenuis alba in
 vasibus inuenta est. Exempla quae *cl. LIEUTAUD* designauit (*q*),
 confirmant, quam facillime nimia quantitas sanguinis detrahi possit;
 quum post repetitas venaelectiones subito extinti sunt homines,
 & omnia vasa sanguine destituta, inuenta. Sic mihi etiam constat
 exemplum haemoptyici, cui ad impetum sanguinis ex pulmonibus
 ruentis fistendum saepius vena secabatur, quique ipsa sub venae-
 selectione placide animam emisit; num vero ex haemoptysi potius,
 quam venaelectionibus admisis, morti succubuerit, ego decidere
 non audeo.

Verum in laudem huius methodi ita haemoptysin curandi
 multa etiam dici possunt. Nam vt iam illud argumentum, quod
 ab obseruatis desumitur, mittam, eam forte utiliter institui posse,
 docent sequentia: homines magnam sanguinis quantitatem amitt-
 ere posse; sanguinem a loco affecto sic quam optime deriuari;
 vulnus consolidari; inflammationem atque ei iunctum motum im-
 petuosiorem praecaueri, ex quibus magis periculum immineat,
 quam ex debilitate simul inducta; melius esse aegrotos debilitare,

B 3

quam

(*q*) In epitom. med. pract. edit. Parif.

quam vt moriantur permettere; sanguinis quoque quantitatem facile restaurari; quod inter alios DODARTVS (*r*) experimentis probare conatus est. „Sedecim, *inquit*, vncias per venaesectionem „eductas intra quinque dierum spatum restitu in homine non debilitato.“

Cum vero ex his nondum satis de salubritate & insalubritate istiusmodi venaesectionis constet: restat, vt ea cum caussis & effectibus haemoptysieos accurate comparetur. Frequentiores haemoptysis caussae sunt: 1º plethora, in primis commota in iuuenibus, aliisque subiectis congestioni humorum pectus versus expostis. 2. Spasmi, obstructiones, abdominalium viscerum; repulsiones sanguinis ab aliis locis haemorrhagicis; 3. status pulmonum inflammatorius; 4. exulceratio pulmonum. 5. Eorum debilitas. Praeter has vero multae aliae haemoptysin efficere possunt: vt vulnera; putrida sanguinis resolutio; obstrukciones a polypis factis &c.

Si omnes hae caussae rite perpenduntur: frequentem, sed parcam venaesectionem vix admittunt, nisi sanguis frequentius ex mala veluti consuetudine in pulmonibus congeratur, hocque modo haemoptysin inferat. Et ne tum quidem semper laudem meretur. Nam 1º si caussa huius congestionis est pulmonum exulceratio, haud multum valebit, cum caussa permaneat, quae congestionem inducit, facile autem ob inductam debilitatem sanguinis-

que

(r) Hist. de l'acad. de sciences Tan 1707. p. 234.

que boni penuriam nocebit. Poteritne quis vlcera externa, adhibita parca frequentique venaelectione curare? Verum vlcera pulmonum longe difficilius curantur, cum ob mollitatem partium affectarum, tum ob motum earum continuum, sanguinemque verbis ad pulmones fluentem. Evidem inflammationem vlcera committere noui, sed cuiilibet inflammationi venaelectione mederi non opus est; etiam hoc in casu, praeter eam, alia remedia adsunt, ista inflamatio herbas vulnerarias, leniaque acida, ea, quae mundificant simulque inflammationis progressum prohibent, postulat. Inflammationes denique venaelectionem non adeo lente quasi operantem, sed quae citam reuulsionem efficit, exposcunt. Anne etiam his saepius repetitis venaelectionibus, ad inflammationem in haemoptysi vel praecaudem, vel fistendam, institutis, eruptio sanguinis, ob imminutam vasorum resistentiam, indeque enatam maiorem eorum contractionem, quo humorum motus augetur, ipsique fluidores redduntur, magis promoueatur? Si 2º a viscerum obstructionibus, spasmis, congestio oritur, ea venaelectione ista tolli nequit, nam caufsa permanet, quae si congruis remedii tollitur, haemoptysis sponte cessabit. Sin haec vero tolli nequeat, venaelectione, quam dixi, admitti potest; aegrum autem vix curabit. Si 3º a sola debilitate sanguis ad pulmones inuitatur; tum quidem haec venaelectione admitti posset, si roborantium usus adjungitur, illa enim sensim sanguinem a pulmonibus reuelli, & ad partes externas deriuat. Valdopere etiam cauendum, ne ista venaelectione debilitas augeatur, hocque modo morbus ipse; aut ad eam plethoram primum euadat corpus, quae ad vires vocatur. Et in

in viriuersum soli venaesectioni parcae frequenter repitiae fidendum non est, sed eo simul respici debet, vt & debilitas tollatur, & cauſſae remotae, quae tam frequentem sanguinis congestionem pulmones versus producunt, remoueantur.

Quod deinde ad effectus haemoptysſ ſpectat, qui frequenter admodum obſeruantur, ii fere ſequentes ſunt: penuria ſanguinis; inflammatio; exulceratio; debilitas. Verum hiſce frequens ſed parca venaefectio vix mederi potest. Nam ſanguinis inopiam augebit ſua natura; inflammatio ſi grauior fit, largam potius, quam parcam venaefectionem poſtulat; ſin autem, vt plerumque eſſe ſolet, leuior incidat: haec non adeo venaefectionem, quam alia diſcutientia ſecura indicat. De exulceratione autem & debilitate in ſuperioribus iam dixi. Quibus omnibus ſi nunc addis, venaefectiones adeo repetitas vix vñquam ſine inopia ſanguinis ab haemoptycis ferri: facile intelliges, quam ſummam cautionem eius uſus requirat! tum demum eam uſurpandam eſſe puto, ſi caetera deriuantia incassum adhibita fuerint. Quod forte hoc in morbo clyſmatum uſus ex aceto vini paratorum, quae nuperrime medicus, qui Berolini floret, commendauit, praefare poſſet, tempus docebit.

§. VIII.

Liceat haſtenus dictis hoc vnum addere. Cum non ſolum cauſſae morborum, ſed alia etiam, qui diuersam poſtulant medendi methodum, interdum adeo propter arctos intellectus humani

mani limites lateant, vt medicus ea, ne summo adhibito studio detegere valeat: accidere inde potest, vt diuersa methodus vtilis videri queat in eodem morbo, quem tamen omni ex parte non pro eodem habere licet. Melancholiae curatio inter alia huc referri me-
retur. *III. MYZELIVS* (s) vsu tartari tartarisati mente alienatos, miser-
rimos hominum, curari expertus est. Idemque *III. WERLHOFF* (t)
camphorae vsu praefitit. Modus agendi horum medicamentorum di-
uersus est; prout etiam causae delirii diuersae fuisse videntur. In al-
tero enim casu sanguis atrabilarius & praecipue huius stasis in viscera-
ribus abdominalibus in culpa fuisse videtur; cum in altero subtilio-
ra vasa imprimis capitis affecta fuisse vero simile sit: ad quas cau-
sas diuturna tristitia, idea peruerfa, fixa &c. praedispone folet.
Facile itaque fieri potest, cum camphora ob naturam volatilem
ad subtiliora vasa penetrat ea irritat, stasinque forte praesentem
tollit; contra vero tartarus tartarisatus humores spissos atrabili-
arios immediate soluit. Vtriusque vsus igitur egregios effectus
producere valet. Verum omnia haec aliis melancholicis haud pro-
ficia fuerunt; quorum malum ex iisdem cauissim ortum duxisse vi-
debatur, quosque ipsos conspexi; in his idem humorum lento fuit,
ita, vt quadraginta modo pulsus percepere; eadem irritabilitas im-
minuta praecipue ventriculi, adeo vt triginta grana tartari emeticai,
aut ad quinque uncias tartarus tartarisatus propinatus, ne ullam
ederent effectum. Si eiusmodi morbi medico obueniunt, in iis, vt in
aliis

(s). e. l. c.

(t) *Oper. med.* Tom. III.

aliis quorum caussa satis quidem aperta est, sed nimis potenter agens, vim remediorum eludit, diuersa remedia sunt tentanda, donec conuenientissima tandem inueniantur, quibus feliciter morbus cedat.

§. IX.

Sicuti ex diuersis caussis vnius eiusdemque morbi methodus medendi diuersa redditur: sic etiam ob multiplices remediorum vires, non solum uno eodemque remedio plures mutationes producuntur, sed pluribus quoque remediis idem effectus respondeat. Consequitur ergo: curandi methodos satis diuersas, eundem tamen posse euentum nancisci. Ob varietatem itaque virium, quae remediis insunt: fieri poterit, ut vel medicorum omnium consensu, qui diuersissimas curandi regulas sequuntur, commendetur, & in eodem morbo adhibeat; vel ut effectus remediis, quem unus alterue differentium medicorum metuendum esse putat, contraria eiusdem remedii virtute tollatur, minuatur. *Illiud* satis patere existimo; *hoc* celebri opii exemplo illustrari poterit. Quilibet nouit, damnari opium a nonnullis medicis in haemorrhagiis quibusdam efferis; ab aliis vero admodum laudari. Qui illam sententiam tuentur, ad vim opii rarefacientem, commouentem prouocant; hi antispasticam virtutem vrgent. Atque omnino obseruatio docet, quod opium minuendo spafinos saepissime haemorrhagias efferas compecat, neque adeo sanguinem commoueat, sed temperet.

Dum

Dum autem varia remedia eandem vim habent (id enim a terum erat, momentum quod proposui) methodus quidem medendi, ratione medicorum eam adhibentium diuersissima videri poterit, quamuis saepe eundem producat euentum. Sic nonnulli corticem Peruuianum in curatione febrium sic dictarum malignarum non admittunt, quem tamen alii valdopere in hac febrium specie laudant; eius autem loco illi acida mineralia aliae, Camphoram, Naphtam vitrioli & similia usurpant.

§. X.

Porro nouum diuersitatis methodi fontem largitur varia remediiorum combinatio. Fieri enim potest, vt adiuncto quodam remedio alterius noxa emendetur. Sic opiatorum usus, quem nonnulli medici in morbis inflammatoriis admittunt, sine noxa ad tempus saltem euadere potest, si venaelectiones largiores & frequentiores simul commendantur. Licet enim opium orgasmum humorum augere valeat, is tamen effectus impeditur venaelectionibus simul institutis; siquidem iis, cum insignem corpori sanguinis quantitatem detrahimus, motus humorum infringitur. Ex altera vero parte tam copiosae & largae venaelectiones, quae a quibusdam commendantur, nocent forte, nisi iuncto opiatorum usu & rarefactione sanguinis produceretur, & vires corporis irritarentur.

Sic etiam terrea sic dicta remedia ex PRINGELII obfervationibus putredinem augment, vix tamen nocent in morbis putridis, cum acida hoc in morbo largiter sumta damnum praecaueant. Quod

C 2

ta-

tamen non nego, ea etiam alio modo nocua euadere posse, sicuti
 hoc *III. SCHVLZII* (*u*) obseruatio docet qui memorat: „faeminam
 „febre ardente laborantem puluisculis terreis & interpositis iulapis
 „acidis quidem sanatam esse, sed in diuturnam cardialgiam inci-
 „disse.“ Plura sunt eiusmodi exempla, saepiusque forte ac puta-
 mus accedit, vt remedia peruersa adhibita, aliis simul in usum vo-
 catis emendantur. Interdum autem medicorum consilio fit, vt
 apta combinatione diuersorum remediorum accommodatus produ-
 catur effectus e. g. resoluentia haud inepte roborantibus coniunguntur,
 & quod illis damnum inferri posset, his corrigitur. Hinc
 autem facile posse explicari mihi videtur, quomodo factum sit, vt
 morbi, omni tempore, a medicis varias methodos sequentibus, ni-
 hilominus sanati atque profligati sint, nam quae noxiam intulerunt,
 aliorum usu emendata sunt. Interim quilibet facile intelligit, hac me-
 thodo, combinatione nempe plurimorum remediorum, non multos
 profectus medicinam capere posse, quia nunquam satis accurate,
 quales medicamenta mutationes in corpore humano producant,
 determinari potest, quod tamen summopere optandum! quam
 optime autem simplecissima medicina perpetrandum.

§. XI.

Solis etiam adiaphoris interdum diuersitas methodi contine-
 tur; quorsum multis in casibus iterum terrea remedia pertinent,
 quae ab aliis commendantur, ab aliis si non damnatur, omittun-
 tur tamen, vtrumque cum nihil efficiunt absque noxa. Alia huius
 indolis remedia medicus interdum adhibere coactus est, partim,

quia

(*u*) *Diss. de inopinat. med. effect. &c.*



quia ab initio, quo morbus tendit, non perspicit, partim ut desiderio aegroti satisfaciat, qui medicamina saepe a medico postulat, et si morbus ita forte constitutus est, ut nullis remediis egeat, solaque natura eum sanare valeat; tum enim ut GAVBIUS concinne dixit: pia fraude miserum decipere debemus.

§. XII.

Atque haec hactenus proposita eo praecipue spectant, ut explicetur, cur diuerissimis medendi methodis aegri interdum sani euadant. Cur vero diuersitas curationum subinde non impedit, quo minus morbi aut per mortem soluantur, aut inuicti permaneant: id puto non necesse esse fusius explicari; rationes nempe sponte fere offerunt; maxime autem hoc pertinent morbi aut grauitas, aut inuincibilis & latens eius natura.

Etsi vero diuerso medendi methodo aegri sanari possunt: quilibet tamen perspicit, accuratissimam inter tot diuersas methodos electionem, nullo modo parui esse momenti, nec sine omni discrimine qualemcunque methodum in usum vocari posse. Nam ea quae citius ac certius, quam altera aegrum restituit, omnibus praferenda est. Quod cum satis notum sit, demonstratione quidem non eget; neque possum tamen, quin inoneam, non ideo solum citiore curationem a medico eligi debere, vt aeger incommodis suis quaecumque liberetur, sed eam etiam ob caussam, vt ne aeger, vel nimis diu morbo afflatus, interea a caussa accidental in vitae periculum coniiciatur, vel sequelas morbi, vt debilitatem, per longius tempus ferre debeat; quorsum imprimis venaectionum in frebribus inflammatorii exemplum spectat, quae facile nimis largae institui possunt; quae

super

superstes a superato morbo virium imbecillitas & sequentes morbi chronicci, qui inde oriri possunt, nocuienta earum satis ostendunt.

Ex his nunc disputatis, plures diuersitatis medendi methodi rationes esse, quam quae a clarissimo WETSCH enumerantur, satis probari posse credo. Etsi vir clarissimus contendit, eo omnes varias factas esse conciliandas, quod multum naturae, parum medicamentis attribuamus, nimiam viribus naturae vim tribuere mihi videtur. Certe non is sum, qui naturae praestantiam suam deneget, multis potius in casibus, parum, valente medicina, maximum vel etiam omnia ab ea perfici existimo. Et si natura & medicamenta non vnitis viribus agerent, quid haec efficere possent? Purgantia certe, si sublata esset intestinorum irritabilitas, incassum adhiberemus. Quapropter receptiuitas corporis, vt medicamenta vim suam exferant, requiritur. Non ideo tamen parum medicamentis tribuendum esse crediderim; cum in morbis enim vires naturae interdum aut deficiant, aut vehementius agant, aut male dirigantur, patet facile: tum medicamentis tantum, quantum naturae tribui debere. Quamquam enim vel tum medicamenta absque naturae auxilio nil praefant: attamen natura quoque, nisi medicaminum efficacia accederet, vim aut nullam, aut parum valentem haberet. Neque semper cum vero congruit, vt sibi *cl. WETSCH* persuadere videtur naturam nempe corrigere veluti, vitia ex admissis medicaminibus. Plerumque autem ocyus serius nocumenta eorum erumpunt. Caeterum nil magis opto, quam vt medicina practica sensim sensimque in salutem humanam perfectior euadat, vtque odia omnia & inimicitiae, ex medendi methodi diuersitate inter optimos ac bene meritos viros ortae profligentur.

Halle, Diss., 1777/78

VD18

ULB Halle
002 187 604

3



f
sb







DE
DIVERSITATE
METHODI MORBIS MEDENDI
EVNDEM SAEPE MORBORVM EXITVM
PRODVCENTE
CONSENSV
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
PRO GRADV DOCTORIS
DIE VI. OCTOBR. A. O. R. CIO CI CC LXXVII.
PVBICE DISPV TABIT
IOANNES GVILIELMVS SCHLENTHER
INSTROBVRGO — BORVSSVS.
HALAE AD SALAM
STANNO HENDELIANO.

